



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Diluuntur argumenta prioris sententiæ. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

cessione futuri substantiæ Angeli accrescit. Tum etiam, quia si ita fieret, nihilominus non esset in ipsa substantia successio, quod enim adueniat pars aliqua, non sufficit, ut sit successio totius esse, sed tantum totum esse substantiæ sine successione semper permanet idem, quare in duratione totius esse substantiarum corruptibilium, quæ nutritione, vel alio modo possunt novas partes acquirere, successio futuri esse nequit. Nam totum, quod futurum est, nunc est, & semper fuit, licet non sub tanta quantitate, & materiæ multitudine, verbi causa, homo ab initio est homo, & nunquam desinit esse homo, quamdiu vivit, neque qui futurus est, alius est homo.

S. Thomas, Henricus, & alij solum contra Bonaventuram contendunt, esse variationem aliquam, ubique est successio futuri: quia quod futurum est, aliquando præsens erit. At Bonaventura hoc genus variationis non negat, sed solum illud, quod est in præterito, hoc est, per quod, adveniente futuro præterito, & desinit quod præsens erat. Nos vero, & hanc variationem necessario esse probavimus, ubique est futurum est. Quod si ita est, efficitur plane, ut nullum esse rei successione coalescat, nisi quod totum simul non est, sed partibus præteritis, præsentibus, & futuris constat, qualis est substantia, & esse motus.

Aliqui tamen ita defendunt, in duratione Angeli esse successione, ut solum duratio illa successione dicatur, non autem Angeli substantia, quia successio proxime inhæret durationi, non substantiæ. Putant enim, durationem à substantia Angeli distingui realiter, sicut modum à re. Nam quemadmodum duratio motus à motu distinguitur, eo quod manente eodem motu, duratio variatur, secundum velocitatem, & tarditatem, ex qua mutatione arguitur optime distinctio, saltem ut modi à re, sic etiam in alijs rebus duratio distinguitur à substantia.

Ego vero aliter existimo. Nam primo, si duratio à re ipsa, cuius est, distingueretur, posset esse successio in illa, etiam si non esset in substantia ipsa. Secundo dico, etiam si duratio motus ab ipso motu distingueretur, non proinde duratio substantiæ ab ipsa substantia distingui deberet, nam licet in duratione motus appareret aliqua varietas, quæ non esset ipse motus, ob quam diceretur ab ipso motu distingui, in duratione tamen substantiæ nulla est varietas, quæ non sit in ipsa substantia, nec unum ab alio, aut contra separari potest. Sine fundamento ergo diceremus, durationem substantiæ ab ipsa substantia distingui, sicut modum à re. Tertio assero, eandem substantiam motus secundum eandem partem non posse esse tardam, & velocem aut variari aliquo modo in duratione, ut experimento compertum est. Quare non est, cur in ipso motu duratio eius ab eo distingatur: sed in universum cuiusque rei duratio idem sit cum re ipsa, cuius est: ac proinde si in duratione est successio, etiam in substantia ipsa, cuius est, esse debet.

Cæterum prædicti auctores probant durationem distingui à substantia Angeli hac ratione. Hæc substantia potest esse sine hac duratione, licet non contra: ergo saltem duratio à substantia Angeli distinguitur, ut modus à re, cuius est modus. Posse autem substantiam Angeli esse sine hac duratione, sic ostendunt. Potest substantia Angeli, quæ nunc habet hanc durationem, annihilari, & iterum pro-

duci, iterum autem producta, est eadem numero substantia, non eadem duratio: ergo duratio à substantia distinguitur. Idem argumentum de motu fieri posset. Respondeo substantiam eandem numero posse annihilatam iterum produci; tamen tunc non esse aliam durationem intrinsecam, sed eandem ac si continuo perseveraret: dici autem solum diversam durationem extrinsecam per respectum ad alias extrinsecas mensuras, quibus coexistit: sicut & idem Angelus dicitur nunc & prius durasse, & postea duraturus, cum reuera habeat eandem omnino durationem. De motu vero pronuncio non posse eundem numero motum redire, etiam per Dei potentiam; quia unitas motus ex tempore sumitur.

Porro, ut finem huic postferri parti imponamus, advertendum est, Okamum, & Gabrielem ita hanc sequutos esse sententiam, ut concedant in re ipsa & substantia Angeli, vel etiam duratione, quatenus in se ipsa est, nullam esse successione futuram: vero ita eam hoc nomine, *Duratio*, significari, ut ipsum simul connotet successione alterius durationis, cum qua ipsa possit existeret, & simul durare. Quare, si non posset esse talis duratio cum successione ea, quæ est Angeli, non posset hoc nomine *Duratio*, significari. Falluntur tamen aperte: quamvis enim nomen *Duratio*, à rebus sensibilibus, in quibus est, cum aliqua successione ad spiritualia videatur derivatum, & extensum, quod omnis duratio ad modum successione cuiusdam commodius concipiatur; hinc tamen non fit, ut nomen *duratio*, quatenus significat Angeli durationem, connotet successione aliquam, sicut nomen *Sapientia*, cum sit derivatum à rebus creatis, & ad divina accommodatum, non ita significat Dei perfectionem, ut simul connotet creatam. Aliud enim est, eam significare instar creature: aliud vero est, simul creatam connotare.

CAP. V.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ.

UT satisfaciamus testimonijs Patrum, & rationationibus pro priori sententiâ adductis, observandum est discrimen inter ævum rerum spiritualium creaturarum, & Dei æternitatem, quod assignat B. Thom. in art. 3. Differunt igitur, non quia ævum principium habeat, æternitas vero non habeat: fieri namque potest iuxta multorum sententiam: ut res spiritualis ab æterno creetur: tunc autem ævum non haberet initium, nec ex ea parte ab æternitate differret: sed quia æternitas ita est duratio Dei permanens sine successione, ut nec in ipsa substantia Dei, cuius est duratio, nec in operatione, aut aliquo alio coniunctam sibi habeat successione; ævum autem rerum creaturarum ita est duratio permanens substantiæ, ut tamen in accidentibus, & operationibus, quæ sunt simul cum ipso, successio sit. Quare æternitas est duratio rei ex omni parte: ævum autem solum ex parte substantiæ permanens, & tota simul.

Hinc facile constat, quid voluerint Sancti Patres pro priori sententiâ commemorari. In primis ergo illi omnes, qui soli Deo perseverantiam durationis sine ulla successione tribuunt, perinde atque immutabilitatem, loquuntur plane de æternitate, quæ ex omni parte successione caret: Hanc autem

Solutio.

Nominalis sententia.

Rejicitur.

S. Thomæ Discrimen inter ævum & Dei æternitatem.

21

Soluntur tam Patrum testimonium.

autem

autem soli Deo tribuunt, sicut etiam immutabilitatem; eaque ab ævo distinguitur, ut prædictum est, ævum namque licet habeat perseverantiam durationis sine successione ex parte substantiæ, cuius est duratio; habet tamen coniunctam vicissitudinem operationum, & accidentium: est enim talis substantiæ duratio, quæ suapte natura accidentium, & operationum mutationi subiecta est.

Eodem pacto intelligendus est Anselmus ibidem citatus, id quod ex verbis ipsius apertissime deducitur. Asserit enim de rebus alijs præter Deum, quas æternas etiam appellat, eo quod ipsarum duratio ævum dicatur, nondum habere de sua æternitate, quod venturum est, sicut iam non habent, quod præteritum est: hoc autem verum non est, si referatur ad ipsarum substantiæ durationem: in hac enim nihil præteritum est; sed totum ipsius esse permanet: loquitur ergo de ævo ipsorum, quatenus secum adiunctam habet operationum, & accidentium variationem: horum autem sicut nondum habent quod futurum est: sic iam non habent, quod præteritum est. Quare testimonium Anselmi nihil sententiæ Bonaventuræ fauet: hic enim auctor contendit, in ævo Angelorum, quatenus est substantiæ duratio, esse futuri successionem sine variatione præteriti. Anselmus vero, in ævo Angelorum, & aliarum rerum præter Deum non solam successionem futuri, sed etiam variationem præteriti esse dicit: id quod nisi de accidentium, & operationum variatione nequit intelligi.

In eundem modum explicari posset Isidorus, si eo tenore verborum, quem retulimus, illud dixisset. Cæterum si verba ipsius fideliter referantur, nihil fauent priori sententiæ. Dixit enim in hunc modum: *Deus autem tantum esse novit, qui non novit fuisse, vel futurum.* Sed non dixit, sicut refert Bonaventura. *Tantum Deus est, qui non novit fuisse, vel futurum.* Quæ circa nullam habent verba Isidori difficultatem, ut pater. De Damasceno dicendum est, ipsum loqui de imaginario illo intervallo æternitatis, quod ad modum fluentis à nobis concipitur, de quo non est præsens controversia. Ad Boethium dico, ipsum quoque loquutum, sicut Anselmus, & alij Patres: quare pro priori sententiâ frustra allegatur.

Iam vero argumentis oppositis occurramus. Ad duo priora, quæ ex parte conservationis sumuntur, dicimus, sicut generatio æterna filij Dei semper perseverat, & perpetuo filius à Patre generatione procedit, absque vlla successione, & variatione futuri: sic creatura spiritalis creatione quadam perpetua à Deo producitur, & conservatur: nec opus est, aut realiter, aut etiam secundum rationem, primam creationem rei à conservatione ipsius aliter fecernere, quam ex respectu ad varia instantia, & durationem temporis nostri, ut, quatenus refertur ad primum instans, dicatur creatio, quatenus vero ad reliquum temporis, cum quo etiam simul durat, conservatio appelletur, eadem tamen sit actio & re & ratione. Quod si eam cum tempore nostro non possemus conferre, non distinguere in creationem, & conservationem: sed unica tantum actio diceretur, quæ res perpetuo ex nihilo à Deo extrahitur, quæ semper pro termino à quo, nihilum habet, non quod ipsam nihil tempore, & duratione rem ipsam præcesserit, sed quod res, quæ à Deo conservatur in nihilum decideret, si ab eo relinqueretur: & quia non est ali-

quid ex quo res secundum totum suum esse à Deo fiat. Quare etiam si æterna esset alicuius creaturæ productio, ex nihilo esset, ut expositum manet.

Eodem modo secundo argumento concedendum est, rebus omnibus spiritualibus creatis in primo instanti totum ipsarum esse completum, fuisse communicatum, nec futurum aliquod illi fuisse addendum: ex hoc tamen non efficitur, ut conservatione non indigeant. Illud enim esse ita accipiunt à Deo, ut suapte natura semper ad ipsum tanquam auctorem, & actum creatorem referantur. Veluti Filius Dei, etiam si acceperit totum esse à Patre, nihilominus perpetua generatione ab eo procedit, & ipsum, ut actum generantem respicit.

Ad tertium ex eodem medio respondeo, tamen est in rei conservatione non sit successio, inter ipsam tamen, & annihilationem esse, sicut inter esse rei, & non esse ipsius. Cum enim hæc due simul esse nequeant, nec inter ipsas medium aliquod esse possit, necesse est, vnam alteri succedere. Nec vero opus est dicere, annihilationem esse negationem conservationis, quæ futura esse deberet, ut contendit argumentum, sed esse negationem conservationis, quæ præcessit ipsam, ita ut quod antea conservabatur à Deo, iam cum annihilatur, amplius non conservetur. Quemadmodum non esse rei est negatio ipsius esse, non quidem eius, quod futurum erat, sed eius, quod præcessit. Quare inter hæc duo est successio futuri, & præteriti, licet in ipsa conservatione nulla sit. Idcirco, licet annihilatio sit privatio conservationis, tamen futura annihilatio non est privatio futuræ conservationis: annihilatio enim non convenit futurum ex re, quæ priuat, sed ipsa ex se futura est post conservationem, quia conservationi succedit: ac proinde ex eodem non habet esse annihilationis, & esse futuri, & hæcenus de argumentis ex parte conservationis.

Ad primum vero ex parte ipsarum rerum, quod erat alterum medium, respondent Capreolus in 2. d. 1. q. 2. art. 3. ad 2. contra 5. conclusionem, post alia 10. argumenta, & Durand. d. 2. q. 3. ad 2. & multi recentiores in hoc articulo, ideo Angelum posse annihilari, quia licet habeat totum esse simul etiam futurum, illud tamen natum est simul existere cum futuro nostræ durationis. Quare, antequam adveniat futurum illud, ita potest destrui, sicut quæcumque alia res, cuius esse vere futurum est: contra vero fieri nequit, ut postquam simul cum præterito extiterit, non extiterit, eo quod ad præteritum nulla sit potentia.

Verum doctrina hæc non tollit argumenti difficultatem: quoniam parum refert videretur, si ævum aptum sit existere simul cum aliquo futuro deinceps, ut possit annihilari, & non esse: ex ipsa namque re, sine ordine ad aliquid extrinsecum, videndum est, an subest potentia Dei, ut destruat: ex eo igitur quod possit simul cum alio futuro existere, non debet inferri, ipsum posse annihilari. Nam quamvis non possit fieri aliquid ens successionem habens in suo esse, cum quo res quoque permanentes simul possent existere, sed omne ens creatum esset permanentes, habens totum esse simul, nihilominus quæcumque creatura suapte natura à Deo destrui posset hoc solo, quod in suo permanenti, & perpetuo esse ab eo indiget conservari. Manet ergo vis argumenti facti, videlicet si futurum rei permanentis cum ipsa iam est, sicut præteritum, ipsa non poterit iam non esse, sicut neque non fuisse.

Ego

Anselmi
mens.

22

Isidorus.

Damascen.

Boethius.

Solutio
vna prima
rationes.

23

Conservatio
ipsum est re
ratione cum
creatione.

24

Solutio tertia.

Annihilatio
est negatio
esse conservatio
tionis præcedentis.

25

Solutio prima
argumentum ex
parte rei
sumptum.
Capreol.
Durand.

Rejicitur solutio.

26

Analis
propos.

Ego vero puto, facilius responderi posse, si recte intelligatur illa propositio communis, *Ad præteritum non est potentia*, quæ sic est accipienda, ut ad eandem durationem referantur fuisse, & non fuisse: sic enim fuisse, & non fuisse sibi contradicunt. Similiter intelligendum est, præsens non potest non esse, præsens: & futurum non potest non esse futurum, sicut disp. 68. c. 4. dicimus: cumque iam in re sit præteritum aliquid, & præsens, etiam de re ipsa præterita, & præsentis absque replicatione præteriti, aut præsentis dicimus non potest non fuisse, non potest non esse, quia re ipsa supponitur contradictorium in eadem duratione. Si vero referamus non esse, ad aliam durationem, quam esse, vel fuisse, optime simul utrumque verum est. Nam res quæ fuit præterita, licet non possit non fuisse, potest tamen nunc non esse, & postea non fore, & res præsens, licet non possit nunc non esse, potest tamen postea non fore, & antea non fuisse.

27

Quocirca in Angelo, cum ponamus omnem illius durationem præsentem, & nihil illius futurum, ut in ipso non sit fore, sed esse, de ipso philosophari debemus, ac de re quacunque præsentis, Vere igitur dicere possumus, Angelus qui est, non potest non esse, referendo utrumque ad durationem præsentem: bene tamen Angelus, qui est, potest non fuisse, & postea non fore; ac proinde annihilari, quia licet in Angelo non sit fore, nec fuisse, sed totum sit esse, est tamen non fuisse, & non fore. In ipsius namque esse non est successio: inter esse vero, & non esse eius, vel contra inter non esse, & esse, successio est, ut in hoc cap. probatum manet. Quam obrem non dicimus ipsum Angelum habere esse post esse: bene tamen, habere esse post non esse, & non esse post esse. Solus Deus est, quia totum suum esse simul habet, ut post illud succedere nequeat non esse: non quia totum esse permanens sit sine successione, ex hac enim parte non esset impossibile, ut ostensum iam est de Angelis, sed quia, ut optime notavit Durand. d. illa 2. q. 3. ad 1. & Capreolus art. illo 3. post solutionem 2. contra 5. conclusionem, a nullo alio pender, aut conservatur, tanquam à causa. Quare nec aliqua causa non esse ipsius ex cogitari potest.

Durand.
Capreol.Capreol.
Solutio
ad
propos.

18

Ad secundum ex eodem medio respondet Capreolus in illo art. 3. ad 9. contra 5. concl. & cum eo recentiores in art. 5. huius quæst. inter creationem vnus Angeli, & alterius non posse esse re ipsa successione aliquam: quare in eorum sententia non diceretur Deus, vnum Angelum post alium creare, nisi esset aliquod tempus cum successione, saltem imaginatum, cum quo hæ creationes Angelorum conferri possent. Quod si nunc dicimus, vnam animam post aliam à Deo creatam esse, loquimur respicientes ad nostrum tempus quod est in successione, cum quo secundum prius, & posterius creationes animarum conferimus, & quodammodo metimur. Diceretur tamen Deus vnum creare, alio non existente. Tota vero ratio ipsorum est, quoniam ante, & post, successione, indicant: hæc autem sicut non est in ævo eiusdem Angeli, sic etiam inter duorum Angelorum creationes esse nequit. Id ipsum videtur docuisse Henricus quodlib. illo 5. q. 13. cum asserit inter creationem vnus Angeli, & alterius solum esse posse imaginariam successione per ordinem ad aliquam veram successione cogitatem.

Henric.

Verum quamvis in cuiusque Angeli ævo, & usque in 1. partem Tomus I.

duratione successio non sit, inde non fit, ut inter duas creationes esse non possit, nā in quocumque instanti nulla est successio, vnum tamen instans alteri potest succedere. Quis enim neget, inter ipsas Angeli cogitationes veram esse successione, & vnum post aliud ab Angelo cogitari; nulla facta cum nostro tempore collatione; cū ab vna in aliam Angelus moveri dicatur ab Augustino, ut disp. 35. referemus: vnaquæque tamen cogitatio in se permanens est, & tota simul. Sed de ipsis creationibus id ipsum aperte probatur. Quoniam inter non esse Angeli, & esse ipsius est successio; ut prædictum est, ac proinde inter non esse Angeli, & creationem ipsius, atque eiusdem annihilationem: sed creatio Gabrielis, verbi causa, simul esse potest cum non esse Michaelis, quod vere præcedit illius creationem, quia ipse post suum non esse creatur: ergo creatio Gabrielis tunc præcedet creationem Michaelis. Nam quemadmodum si vnus Angelus crearetur, & postea destrueretur, ac deinceps de novo idem crearetur, inter creationem priorem & posteriorem esset successio, ut Capreolus fatetur in solutione 10. contra secundam conclus. eodem quoque modo inter creationem vnus, quæ simul est cum non esse alterius, & illius creationem, quæ est post illud non esse, debet esse successio, ac proinde non minus concedere deberet tempus discretum inter vnus, & alterius creationem, quam inter creationem & recreationem eiusdem.

Non placet
proposita solutio.Inter vnus
& alteram
creationem
Angelorum
potest esse
successio.

29

Capreolus

Obiectio

Sed occurrer aliquis hac ratione. Si vna creatio potest esse post aliam sine vilo ordine ad tempus imaginatum, etiam poterit vnus plus, aut minus antecedere alteram: atqui non potest plus, aut minus in eius antecessione assignari, nisi in ordine ad maiorem, aut minorem nostri temporis successione, cum esse cuiusque Angeli sit omnino indiuiduum: ergo nec antecessio simpliciter sine ordine ad nostrum tempus esse potest. Verum hoc argumentum si quid momenti habet, probat etiam inter Angeli operationes non esse successione sine ordine ad nostrum tempus, & ex illis non componi tempus discretum. Nam quævis illarum indiuidua est, ac proinde ex ipsis solum non potest magis, aut minus in antecessione assignari. At inter operationes Scholastici omnes cōcedunt successione, quod tempus discretum appellant: argumentum ergo nihil momenti habere potest.

Solutio.

30

Respondéo igitur, sine ordine ad nostrum tempus posse esse antecessione inter Angeli operationes, & creationes, ut dictum est; ex eo solum, quod vna est, alia non existente, & contra: sed non posse magis, aut minus in antecessione illa sine ordine ad nostrum tempus designari; quia hoc fieri nequit, nisi adhibita aliqua mensura externa: ut autem dicimus sequenti disput. nullum ævum esse mensura eius, in quo est, nec vnum alterius esse potest: tota vero ratio metiendi etiam res spirituales, ad tempus nostrum reduci debet: ergo sine ordine ad illud magis, & minus in antecessione assignari nequit: quoniam hoc in mensura consistit. Potest tamen ipsa antecessio simpliciter esse, quia sine mensura est. Ad vltimum ex eodem medio, latissime dicemus disputatione 65, vbi monstrabimus, nihil futurum, esse æternitati Dei præsens existentia, & præsentia reali, ac proinde nec ævo Angeli esse poterit. Si tamen Deo essent hoc modo futura præsentia, non infirmum ex ævo Angelis desumeretur argumentum, ut ibi ostendemus.

Ad vltimum
respondetur.

Cate-

Obiectio.

Solutio.

33

Ceterum arguunt aliqui. Sicut Angelus non potest in maiori, & maiori loco constitui, nisi modus existendi in illo extendatur: ita substantia aliqua esse non poterit in maiori, & maiori tempore, sine aliqua extensione, quæ succedat. Verum hæc ratio friuola est, primum, quoniam nulla res est sub tempore nostro successio, ratione alicuius modi, quem in se habeat: sed sola sua duratione, & esse simul dicitur cum tempore existere, & ipsa perseverare potest sine eo quod in se mutetur, etiam si tempus, sub quo dicitur esse, succedat: sicut locus manens idem, existit, & amplectitur sine sui successione plura corpora, sibi inuicem succedentia: & Deus etiam sine ulla successione simul est cum tempore succedente. Deinde quod Angelus, quando est in maiori loco dicitur habere modum magis extensum, non debet intelligi de extensione quantitatis, sed de ea, qualis est in habitu, respectu plurium conclusionum, hæc autem necessaria est, quia Angelus, & spiritus coniungitur corpori, non proxime per suam substantiam, sed per aliquem modum, quo ipsi vnitur, ut infra suo loco dicemus. Quare non est eadem ratio utriusque, ut argumentum contendeat.

DISPUTATIO XXXIV.

Utrum æuum sit mensura rei permanentis, an non.

Varia de hac re opiniones, cap. 1.

Favores sententia, cap. 2.

CAP. I.

Varia de hac re opiniones.

Æuum mensuram esse verum permanentium. S. Thom. Caietanus. Alexand. Albertus. Egidius. Ricardus. Bonavent. Argentin. Capreolus. Scotus.

Dionys. Basil. Augustin.

A æuum mensura est eius cuius est duratio. Bonavent.

EX hac quoque controuersia exacte intelligimus naturam æui, & qua ratione differat a tempore nostro. Est autem in ea doctorum quorundam opinio, qui censent, æuum esse mensuram rerum permanentium, sicut æternitatem ipsius Dei. In quam opinionem consentiunt S. Thom. 4. 5. & 6. Caietanus, & recentiores Thomistæ ibidem: Alexander 1. par. q. 12. mem. 9. art. 3. ad 1. & art. 2. Albertus de quatuor coen. q. 2. art. 3. Egidius tract. de mensura Angelorum, q. 2. Henricus quodlib. 1. q. 11. Bonavent. in 2. 1. p. d. art. 1. q. 1. & 2. Ricardus art. 1. q. 1. & 2. Thomas de Argentina q. 1. art. 3. Capreolus q. 2. art. 1. concl. 5. & 6. Scotus q. 2. §. ad secundam partem, & q. 7. Est autem æuum mensuram rerum spiritualium, sicut tempus est corporali, in quo (ut dixi) hi omnes Doctores conveniunt, probatur. Quoniam sicut quæ temporalia sunt, & subiecta motui atque varietati, suam propriam habent mensuram, scilicet tempus sic immortalia, & permanentia suam quoque habere debent, quæ sit alterius rationis. Nam si res immortales, & incorporeas temporis mensuræ semel subijciamus, Deus etiam tempore definiti poterit: quod est absurdum. Hanc vero mensuram altioris ordinis æuum appellamus. Hanc sententiam recentiores aliqui Theologi, in observatione circa hos tres articulos, putant esse Dionysii, & Basilii locis citatis, atque August. lib. 8. 3. quest. q. 19. & 72. Ceterum in assignanda æui mensura non omnes Doctores commemorati eodem modo sentiunt. Varios ergo modos opinandi referemus, ut ipsorum sententiam in uniuersum examinare possimus.

Primus modus opinandi est Bonavent. A Egidio, & Thomas de Argentina, qui docent, præter communem quandam extrinsecam mensuram, qua res omnes

immortales definiuntur, esse in vnaquaque illarum æuum suum, quod est cuiusque intrinseca, & propria mensura. Probat vero Thomas, æuum cuiusque rei esse ipsius mensuram: quia non omnia immortalia, quæ sub æuo continentur & viuunt, simul inceperunt, ut de animabus constat: debet igitur in vnaquaque esse sua mensura, quæ cum sit ipsi propria, certior quoque sit. Præter hanc vero, esse communem aliam æui superioris, hac ratione suadent, Sicut in alijs rebus, quæ corrumpuntur, præter intrinsecam cuiusque mensuram, quæ est ipsius duratio, est quædam communis, & extrinseca, quæ omnes metitur, scilicet tempus: eodem modo in Angelis esse debet. Ex ijs autem Doctoribus Bonaventura non tam aperte hanc communem mensuram concedit: Egidius vero hanc mensuram putat esse Dei, æuum, & æternitatem: Thomas autem æuum superioris Angeli, cum quo multi alij in hoc conveniunt, ut in hac questione videbimus.

Secundus modus est Scoti, qui duo dicit. Vnum est, nullam æui durationem esse mensuram Angelicam, aut alterius rei, in qua est. Sic tradit questione illa 2. §. Ad secundam partem. Probat vero quia mensura semper differt à re, quam metitur: idem enim non definit, nec metitur se ipsum. Nam quamvis eadem quantitas interdum se ipsam metiatur, hoc tantum fit, assignata parte quadam illius, & super reliquam replicata per intellectum: at in Angelo nihil est huiusmodi. Deinde æuum Angeli ab ipsa Angeli substantia non distinguitur: ergo non est eius mensura.

Alterum, quod docet Scotus q. 1. est, aliquod esse æuum, quod est mensura extrinseca Angelorum. Hoc autem trifariam, inquit ille, explicari, aut defendi potest. O nullo vero priori modo, qui est de mensura perfectionis, non durationis, secundum quem perfectior species dicitur reliquarum mensura, de qua non est nunc controuersia: duo alij superflui. Alter est, ut æuum cuiusque superioris Angeli sit mensura inferioris, & hoc ordine usque ad vltimum. Probat autem, superioris durationem esse mensuram inferioris Angeli, quia mensura debet esse suapte natura notior re, quam metitur: licet interdum alicui intellectui, nempe humano, quod imperfectus sit, mensura non sit notior natura sua: sed superioris Angeli æuum natura sua notius est, quia perfectius, quam inferioris: ergo illud est inferioris mensura. Alter est, ut sit vnum tantum æuum, duratio videlicet supremi Angeli, quod sit omnium aliorum mensura. Hoc vero probat eadem ratione, quæ S. Thomas assertit in confirmationem suæ sententiæ, quam mox referemus. Quocumque vero modo loquamur, ex doctrina superiori necessario fatendum est, supremum Angelum nullius æui mensuram habere, non proprii, quia nihil se ipsum metitur, ut diximus ex doctrina ipsius Scoti: non inferioris, quia mensura debet esse superior re, quam metitur, ut ipse quoque docet, non superioris, quia nullam habet, caret ergo mensura.

Tertio modo philosophatur S. Th. Caiet. Alexand. Albertus, Henricus, Ricardus, & Capreolus, qui recentioribus maxime probatur. Affirmant autem omnia immortalia sub vno communi æuo tantam mensuram contineri. Tametsi Ricardus, & Henricus asserant æuum illud commune, non esse eorum, quæ sub eo continentur, proprie mensuram, eo quod non est ceterorum causa: sicut motus

A Egidius, Argentin.

A æuum non est mensura Angeli, in quo est, secundum Scotum.

Aliquod esse æuum quod sit mensura extrinseca Angelorum.

S. Thomas.

S. Thomas, Caietanus, Alexand. Albertus, Henricus, Ricardus, Capreolus.